



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Disputatio XLIII. De ministro Extremæ vnctionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

tam partem pertinere ad substantiam sacramenti. A
 Solum vnum inuenio: qui dicitur, potius vñctionem
 pedum essentialem esse quam manuum: oppositum
 autem docet D. Thom. expresse in 4. dist. 23. q. 2. art.
 3. q. 2. alias in Additionib. quæst. 23. art. 6. Paludan. d.
 23. qu. 2. art. 3. Richard. art. 3. q. 1. Durand. qu. 4. num.
 8. Soto qu. 2. art. 3. Ledesm. qu. 3. 4. art. 6. Syluest. Na-
 uarr. & omnes Summistæ. Ex ipsis formis optime
 colligitur: nam cum manus vñguntur, dicitur, *Re-
 missas tibi Deus quidquid peccasti per tactum*, cum vero
 vñguntur pedes, dicitur, *quidquid per inessam*: signum
 ergo est manus adhibere vt continentes principaliter
 organum tactus; atque adeo illam partem esse
 per se magis necessariam: quia vis motiua seu inced-
 endi propter quam vñguntur pedes, & vis appeti-
 tiua seu concupiscentiæ, propter quam vñguntur
 renes, sunt secundaria principia peccatorum, ideoq. B
 non sunt ita necessaria.

D. Tho.
 Palud.
 Rich.
 Durand.
 Sot.
 Ledesf.
 Sylu.
 Nauarr.

Quid si vn-
 gendus ca-
 reat mani-
 bus.

Responsio.

Impugnatur

Vera resolu-
 tio.

Impugnatio
 supra cõtra
 rejellitur

Circa hanc vero partem occurrit communis dif-
 ficultas: quia fieri potest, vt is, qui vñgendus est, ca-
 reat manibus, ergo caret proximo subiecto, (vt sic
 dicam) quod est de necessitate sacramenti: erit ergo
 ille incapax huius sacramenti: vrget autem difficul-
 tas quando homo caret vtraque manu: nam si alte-
 ra tantum careat, altera erit sufficiens: quia, vt supra
 dictum est, in singulorum sensuum organis vna suf-
 ficit vñctio, licet ad maiorem integritatem, vel or-
 natum soleant duæ fieri in his sensibus, qui veluti
 bipartita habent organa in duabus partibus princi-
 palibus. Vnde, deficiente vna manu, altera est inun-
 genda propter essentialitatem: propter vsu autem, seu
 perfectionem vñgetur in alio brachio pars extrema
 manus propinqua, vel si brachium desit, in eo situ fi-
 et vñctio, qui est quasi fundamentum manus. At vero
 quando vtraque manus desit, maius videtur esse
 dubium. Primo à simili de sacramento Ordinis, sup-
 ponendo enim vñctionem manuum esse de essen-
 tia Diaconatus, vel Presbyterij, qui caret manibus
 incapax prorsus est illius sacramenti, nec poterit in
 propinquis partibus inungi, nõ solum licite, verum
 etiam neque valide: ergo similiter, & c. Secundo,
 quia partes vñgendæ ex vi institutionis sunt deter-
 minatæ; si ergo inter alias partes manus fuerunt de-
 signatæ, non possunt loco illarum aliæ à nouis sub-
 stitui. Terrio si coniectura vtendum est, non esset
 localis propinquitas attendenda, quæ est veluti ma-
 terialis, sed potius illa pars esset vñgenda, in qua post
 manus tactus vehementior est, magisq. viget: quia
 hæc est formalior propinquitas, ac similitudo.

Nihilominus certissimum est huiusmodi homi-
 nem non esse incapacem huius sacramenti, & vñ-
 ctionem tunc faciendam esse in parte propinqua, vt
 omnes Doctores docent, & vsus Ecclesiæ satis ostē-
 dit. Et ratio est facilis: quia talis homo non minus
 indiget sine, & fructu huius sacramenti: debuit ergo
 ita institui, vt ab eius participatione non excluderetur.
 In quo cernitur clara differentia inter hoc sa-
 cramentum, & Ordinem: nam qui caret manibus,
 prorsus est ineptus ad finem & officium illius sa-
 cramenti, & ideo merito est incapax illius, ibique ma-
 nus designatæ sunt, vt omnino essentielles, non vero
 in presenti. Vnde etiam facile responderetur ad
 secundam rationem, in hoc sacramento manus non
 esse designatæ, vt adæquatam subiectum illius vñ-
 ctionis, quæ ratione tactus sit, sed illud esse organum
 tactus, manus vero designatæ esse, vt per se loquen-
 do ibi debeat fieri talis vñctio quoad fieri possit:
 quia cum non sit vñgendum totum corpus, pars a-
 liqua designari debuit, non tamen ita præcisè, vt illa
 deficiente esset impossibilis talis vñctio, cum ad-
 huc maneat organum tactus, sed ita vrille sit quasi
 primarium subiectum, quo deficiente, eius locum
 habeat pars, illi propinquior. In hoc autem retinen-
 da etiam est sententia communis vt pars situ cor-
 poris propinquior vñgenda sit, quanuis non videã

omnimodam certitudinem cur hoc pertineat ad es-
 sentiam sacramenti: quia nec ex consuetudine Ec-
 clesiæ hoc satis constare potest, cum casus sit rarissi-
 mus, nec ex alio certo principio: quia quæ situra ter-
 tio loco posita commendanda non est. Præferenda
 vero est communis sententia, quæ sine dubio etiam
 in praxi seruatür quando similis casus occurrit. Et
 ratio reddi potest, quia nulla certior regula, & noti-
 or omnibus dari poterat: nam vbi post manus tactus
 magis viget incertum est, vixque Philosophi, aut
 Medici id norunt: quæ autem pars sit manus prop-
 inquior, notissimum est; & ideo cum manus fue-
 rint veluti primo loco designatæ, consequenter suo
 ordine designatæ ad id munus erunt partes prop-
 inquiores, vt illis deficientibus, earum loco substi-
 tuerentur.

DISPUTATIO XLIII.

De Ministro sacramenti Extreme vñctionis.



HÆC est vltima causa huius sacramen-
 ti, de qua duo breuiter dicenda sunt,
 scilicet, quis sit minister omnino ne-
 cessarius huius sacramenti, quisque
 sufficiat.

SECTIO I.

Vtrum Sacerdos sit minister proprius huius sacra-
 menti.

HÆretici sicut negant vñctionis sacramentum,
 ita negant vñctionem illam, de qua loquitur est Ham-
 Iacobus, esse necessario à sacerdotibus ministran-
 dam; quia Iacobus solum dicit, *Inducat presbyterus
 Ecclesiæ, id est, seniores, & grauiores fidelium, id enim
 (aiunt) & non aliud in rigore significat vox Græca
 presbyteri. Atque hi consequenter loquuntur, quia
 putant illam vñctionem tantum fuisse ad curationem
 corporum per gratiam sanatorum, quæ vñctione vti
 possunt omnes fideles, qui talem gratiam à Deo ha-
 buerint, vt de discipulis Antonij refert Rufin. libr. 2.
 hist. cap. 4. & de S. Martino, Seuerus Sulpic. in vita
 eius cap. 21. & de alijs Palad. cap. 1. & 20. Accedit, vt
 Innocent. I. Epist. 11. ad Decem. cap. 8. loquendo de
 oleo sancto, inquit, *Quo non solum sacerdotibus, sed
 omnibus vti Christi anis licet in sua, aut suorum necessitate
 inungendo. Quæ verba vsurpauit etiam Conelium
 Vormatiens. cap. 72. & fere Bedain Iacobum. Alii
 qui vero ex Catholicis dixerunt, saltem in extrema
 necessitate, quando sacerdotis copia haberi non po-
 test, posse hoc sacramentum ministrari ab inferiori
 clerico, vel etiam à laico, si alius non fuerit, sicut po-
 test baptismus; ita Valdens. tom. 2. de Sacramentis, vñctio-
 cap. 163.**

Dico tamen primo, Solus sacerdos est minister
 huius sacramenti, neque ab alio valide confici po-
 test. Cum autem exclusiuam addimus, clarum est
 inferiores excludi, non tamen superiores, qui, licet
 sint Episcopi, sunt etiam sacerdotes; nam, vt dixi
 supra Innocentius, *Superfluum est vt de Episcopo am-
 bigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcir-
 co de presbyteris dictum est, quia Episcopi alius occupati-
 bus impediti, ad omnes languidos ne non possunt. Caterum
 si Episcopus, aut potest, aut dignum ducit aliquem à se vi-
 sitandum, & benedicere, & tangere christifide, sine con-
 ditione potest, cuius est ipsum christisma conficere. Quibus
 verbis, vt supra dixi, oleum sanctum comprehendit,
 cuius benedictionem manifeste sentiri esse prop-
 priam Episcopi, quod supra attigimus, & in hac di-
 sputatione exactius declarare proposuimus. Vsum
 vero olei benedicti in conficiendo hoc sacramentum
 dicitur italicere presbytero, vt à fortiori Episcopo*

ceat. Conclusio ergo sic exposita de fide est, fundaturque precipue in verbis Iacobi, *Inducas presbyteros Ecclesie*. Quamuis enim nomen *Presbyteri*, in communi vsu Græcæ linguæ possit etiam seniore[m] significare; tamen in vsu Ecclesiæ, & præsertim Apostolorum, communiter sumitur pro Ecclesiæ sacerdotibus: quod ostendit tum locus ille Pauli, 1. ad Timoth. 4. *Cum impositione manuum presbyteri*, tum cõmunis vsus retentus in Ecclesia Latina, quæ veluti traditio quædam Apostolica reputari potest: atque ita intellexerunt locum hunc Concilia Florentinũ, & Trident. sess. 4. ca. 3. & canon. 4. de hoc sacramento, & indicarunt Beda, & alii in eum locum, & Cyrillus li. 2. in Leuitic. Chryostomus libro secundo, & tertio, de Sacerdotio. Gratianus post capit. *Presbyteros*, 95. distinctione.

Cont. Florent. Trident. Cyril. Chryost. Gratian.

Ratio à priori

Obiectioni occurritur.

An quilibet simplex sacerdos sit

Obiect.

Dilatatur.

Ratio à priori est Christi institutio, quam nobis Iacobus, & Ecclesia sufficienter proposuerunt. Cõgruentia optima est, quia hoc sacramentum ordinatur suo modo ad sanctificandos fideles: potestas autem sanctificandi fideles est propria sacerdotum, per se loquendo, pertinetque ad potestatem in corpore Christi mysticum, & ideo etiam administratio huius sacramenti eorum est propria. Estque hoc etiam consentaneum sanctitati Sacramentorum, per se enim requirunt sacros, ministros ad id muneris specialiter consecratos, excepto baptismo propter speciale[m] necessitatem, & matrimonio propter speciale[m] eius naturam: in hoc autem sacramento nulla est peculiaris ratio: quæ talem exceptionem possit. Dices, Etiam Diaconus est minister consecratus. Respondetur, non tamen sufficienter ad hoc sacramentum ministrandum, quia nec habet potestatem in corpore Christi verum; nec ad remittenda peccata; & ideo nec per se habet potestatem in corpore mysticum, ad sanctificandum illud, & remittenda peccata etiam mortalia, quod inter dum per hoc sacramentum fit. Vnde etiam obiter verisimile fit, potestatem hanc ministrandi hoc sacramentum, tunc maxime datam fuisse Apostolis, quando ordinati sunt quoad potestatem remittendi peccata. Ioan. 20. Non expediebat autem hoc ministerium reservari Episcopis, tum quia, vt ex Innocentio retulimus, aliis grauioribus occupationibus impediendi erant; nec tam facile poterant in omnibus oppidis inueniri, tum etiam, quia, si iudicium de peccatis per penitentiam sacerdotibus commissum est merito etiam sacramentum hoc, quod veluti consummatiuum est penitentia, eisdem committitur.

Potest vero quis interrogare, an quilibet simplex sacerdos sit sufficiens minister huius sacramenti, vel indigeat aliqua alia potestate. Respondetur, vt sacramentum valdum efficiat, quemlibet sacerdotem simplicem esse sufficientem ministrum, quia sacramentum hoc non pendet quoad substantiam nisi ex potestate Ordinis sacerdotalis; hanc autem integram habet quilibet sacerdos simplex, vt de fide certum est. Prior propositio certissima est, quia hoc sacramentum non confertur per modum iudicii, sed per modum cuiusdam sanctificationis, & medicina; ergo per se, & essentialiter non requirit potestatem iurisdictionis; ergo solam postulat potestatem ordinis, nam præter has duas non potest haberi alia potestas, seu conditio simpliciter necessaria. Dices, sacramentum hoc dari per modum curationis, quantum autem corporalis curatio non indiget iurisdictione, spiritalis autem videtur illam requirere, quia est actus pastoralis. Respondetur, hoc argumentum ad summum probari ad rectam & licitam huius sacramenti administrationem necessarium esse, vt sacerdos habeat iurisdictionem, vel licentiam proprii sacerdotis, vt dicemus commodius sequenti sect. id enim ad præcepta huius sacramenti pertinet. Non tamẽn probat ratio facta necessitatem simplicem.

Fr. Suarez. tom. 4.

Ad validitatem sacramenti, quia nec est actus ligandi, aut soluendi nec proprie actus superioris: & quamuis hoc sacramentum interdum remittat peccata: id tamen nec est per se primo, nec per modum absolutionis, seu sententia.

Vltimo dicendum est, sacerdotem esse ministrum simpliciter necessarium: ita vt propter nullam causam vel defectum sacerdotis possit laicus, imo nec diaconus sacramentum hoc valide cõficere. Assertionem hanc fere æque certam quam primam esse existimo. Et in ea conueniunt Theologi in 4. d. 23. D. Thom. q. 2. art. 1. Vbi assignans generalem regulam sacramentorum ait, in solo baptismo diuina dispensatione factum esse, vt in necessitate possit à nō sacerdote ministrari: intelligit autem de sacramentis, quæ consistunt in vsu, vt dispensationem Eucharistia excludamus; & quorum proprius ac per se minister est sacerdos, vt matrimonium etiam excipiamus. In eadem sententia sunt Bonavent. Palud. Duran. & reliqui Summistæ. Præterea hoc voluit Concil. Trid. ca. 3. de hoc sacramento, eum docuit, vel Episcopum, vel sacerdotem rite ordinatum esse proprium ministrum huius sacramenti, quod sub anathemate definit can. 4. Concilium autem Florẽt. simpliciter dixit, *Minister autem huius sacramenti est sacerdos*, nulla adhibita exceptione, quam ageas de sacramento baptismi statim adiunxit, ideoque non dixit absolute sacerdotem esse ministrum baptismi, sed *ordinarium ministrum*. Vnde concluditur ratio, nam in his rebus supernaturalibus, quæ ex institutione pendunt, nobis non licet addere exceptionem, præter generalem regulam sine auctoritate, vel euidenti ratione: hic autem regula generalis Iacobi est, vt ad vngendum infirmum inducatur presbyter, & Cõcilia declarant illũ esse sacerdotem, quem simpliciter definiunt esse ministrum, seu proprium ministrum: nulla est autem auctoritas ad excipiendum ab hac regula aliquem casum: nec etiã probabilis ratio, quia sacramentum hoc non est necessitatis, sicut baptismus: ergo. Et confirmatur, nam per se loquendo, magis necessarium est sacramentum penitentia, & nihilominus propter nullam necessitatem potest ab alio, quam à sacerdote ministrari, quia nunquam ita necessarium est, quin possit homo per cõtritionem saluari: ergo à fortiori idem dicendum est de hoc sacramento.

Ad fundamentum ergo hæreticorũ iam responsum est, mentẽ Iacobi fuisse de sacerdotibus loqui: alioqui quid necesse erat seniores vocare, vt infirmum vngerent, certe potius sanctiores vocandi fuissent, per quos Deus facilius conferret sanitatem, si talis vnctio ad illam supernaturaliter conferendam precipue ordinabatur. Igitur illud fundamentum hæreticum est, vt in superioribus est ostensum. Circa exempla vero sanctorum, quæ ibi afferuntur, aduertendum est, non constare ex historiis illos vsos fuisse ad sanandos miraculose infirmos oleo ab Episcopo consecrato ad vngendos infirmos, sed oleo alio, quod ipsi fortasse per signum crucis, vel aliam deprecationem benedicbant. Quod si forte oleo infirmorum utebantur, non licet inde argumentum sumere ad sacramentalem vnctionem, quæ est valde diuersa: nec vero illi damnandi alicuius criminis sunt, eo quod materia remota sacramenti, ad alium vsum, quam ad sacramentum conficiendum, vterentur: quia credendum est diuina inspiratione motos id fecisse: tum quia id non est intrinsece malum nec constat esse prohibitum, quando alius vsus sanctus est, & cum debita reuerentia, aliisq; honestis circumstantiis fit. Atque in hunc modum voluerunt aliqui explicare locum Innocentii, scilicet, licere omnibus Christianis vti oleo ad vngendum suos infirmos in necessitate, nō quidem sacramentaliter: sed alio modo ex deuotione, si necesse sit. Non est autem expositio consentanea menti Innocentij.

Nec laicum esse ministrum huius sacramenti. Afferro 2o. D. Tho.

Trident.

Distinguitur fundamentum hæreticorum.



centij, qui plane loquitur de vñtione sacramenta-
li : nam infra concludit hoc esse genus sacramenti.
Dicendum ergo est loqui de vñtione sacra-
mento, scilicet, licere omnibus fidelibus vti passim hoc oleo vocan-
do presbyteros, qui se vel suos in necessitate vngant.
Ita exposuit Ruard. art. 2. Iansen. in capi. 6. Marci, &
ibidem Maldonatus, Bellarm. libro primo, de hoc
sacramento cap. 9. Casar. Bar. tom. 1. Anno Christi
63. num. 14.

Ruard.
Iansen.
Maldon.
Bellarm.
Casar. Bar.

SECTIO II.

Utrum possit hoc sacramentum à multis sacerdotibus
confici.

I
Sufficere v-
num sacer-
dotem.

Obiect.
Solutio.

2
Utrum sit
de necessita-
te sacramen-
ti, quod sit
vñtus sacer-
dos.
Dupliciter
explicatur
quæstio.
De priori
modo.

DVo sunt in hac quæstione certa, primum est, v-
num sacerdotem, per se loquendo, esse sufficien-
tem ministrum huius sacramenti. Hoc est de fide cer-
tū, constatq; ex vniuersali vsu Ecclesiæ, & ex genera-
li regula sacramentorum : & quia in vno sacerdote
est potestas sufficiens ad applicandam totam mate-
riam, & formam ad hoc sacramentum necessariam.
Vnde in cap. Quasiuit, de verb. signi, definiuit Ponti-
fex, sacerdotem, vel alio præsentem, vel etiam solum
posse infirmum vngere. Dices, Cur ergo Iacobus
dixit, inducat presbyteros Ecclesiæ? Respondes, perinde
fuisse ac si diceret, vocet vnum ex presbyteris Ec-
clesiæ, ita vt plurale pro singulari acceptum sit: vel
certe propter reuerentiam, vel solennitatem sacra-
menti positi est plurale illud, vt significaretur sacra-
mentum hoc cum debita pompa, & solennitate esse
deferendum. Atq; hinc colligitur aliud, quod cer-
tum esse diximus, hoc sacramentum, regulariter ac
per se loquendo, ab vno, & eodem ministro esse per-
ficiendum, à quo inchoatur, ita vt si aliter sine ne-
cessitate, fiat, sine graui peccato non fiat. Ita indicat
Doctores communiter de hoc sacramento scriben-
tes, licet in particulari non ita expresse declarent. Vi-
detur autem certum ex eisdem fere principiis, qui-
bus positam veritatem ostendimus. Nam in primis
ita habet vsus Ecclesiæ, à quo in re graui non sine
graui crimine discrepatur: deinde ita observatur in
omnibus aliis sacramentis, ergo & in hoc seruandū
est. Tertio quia voluntarie relinquere sacramentum
inchoatum, & imperfectum, de se graue crimen est:
nam quod ab alio postea perficiatur, extrinsecum, &
quasi accidentarium est.

Difficultas vero superest, an possit sacramentum
hoc interdum à pluribus ministris valide fieri. Duo-
bus autem modis possunt duo sacerdotes ad hoc
ministerium concurrere: primo vt vnus faciat vñ-
tionem, alius vero proferat formam, siue in omni-
bus vñtionibus, siue in singulis, seu aliqua ex essen-
tialibus: secundo vt vnus faciat vnam vel plures vñ-
tiones cum formis illis proportionatis, non tamen
omnes essentielles; alius vero compleat, quæ defue-
rint. De priori modo nihil inuenio dictum à Theo-
logis in particulari de hoc sacramento. De baptismo
quidem docent non esse validum, si vnus abluat, al-
ter vero formam proferat. Videtur tamen hic di-
uersa ratio: nam ibi forma profertur per modum
indicatiui, Ego te baptizo: vnde non potest esse vera,
nisi idem laicus qui proferat formam: hic vero forma
est deprecatoria, quæ non designat actionem prop-
riam deprecantis, sed solum præsentem vñtionem,
quæ potest ab alio fieri, vt patet cum dicitur, Per hanc
sacram vñtionem, &c. ergo nec formam, nec materiam
huius sacramenti repugnat quod minister integer
huius sacramenti ex duabus personis conficiatur,
quarum altera vngat, altera formam proferat: po-
testq; id esse necessarium, si alter sit mutus, alter
vero manibus careat: cur ergo dicimus tale sacra-
mentum esse inuàlidum. Maxime cum in genere lo-
quendo non repugnet rationi sacramenti vt sic,

A materiam ministrari ab vna persona, formam ve-
ro proferri ab alia vt in sacramento penitentia cõ-
stat, & suo modo in matrimonio; in speciali au-
tem ratione huius sacramenti nihil sit quod repu-
gnet.

Nihilominus dicendum, non posse hoc modo
sacramentum valide fieri à pluribus personis, seu
ministris partialibus. Hoc videntur de sacramento
hoc supponere, qui de baptismo idem sentiunt, quos
reuli superiori tomo, disp. 23. sect. 3. videtur enim
esse eadem vel maior ratio. Nam, si in illo sacra-
mento, quod est maxime necessitatis id Christus nõ per-
misset ex vi suæ institutionis, cur in hoc sacramento,
quod necessarium non est, id admittere debuisset?

B Item est ratio generalis in omnibus sacramentis,
quorum materia proxima est actio ministri: nõ de-
terminanda est per formam, vt cum ea vnum sacra-
mentum constituat: ergo conuenientissime omne
huiusmodi sacramentum ita institutum est, vt ab
eadem persona proferenda sit forma, à qua fit actio,
& è conuerso. Præterea vsus Ecclesiæ plurimum fa-
uet, nõquam enim visum est sacramentum hoc ali-
ter confici: ex quo vsu explicari videntur verba Ia-
cobi, & verba formæ, vt hunc sensum referant. Nam
Iacobus ait, Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orienti super
eum vngentes eum. Expendenda enim, & coniungenda
sunt illa verba, Orient vngentes: eundem ergo vult
esse qui orat, & qui vngit, vult enim vt vngendo o-
ret, & vngat orando. Simili modo cum in forma di-
citur, Per hanc sacram vñtionem, minister non alienus,
sed propriam actionem designat: nam etiam iuxta
vñtatum loquendi morem hic est communior sensus
illius locutionis. Hæc ergo sententia tenenda vi-
detur, nam coniecturæ in contrarium pullius sunt
momenti, & ex dictis soluta manent.

C Superest breuiter dicendum de alio sensu, in quo
etiam videri potest, nunquam posse sacramentum
hoc à pluribus sacerdotibus partialiter fieri. Primo,
quia Concilium Florentinum dixit, ministrum hu-
ius sacramenti esse sacerdotem, non sacerdotes. Se-
cundo: quia generalis ratio D. Thomæ hac tertia
parte quæstione 67. artic. 6. est: sicut principalis au-
ctor sacramenti, qui est Christus vna persona est, ita
ministrum, qui ipsum representat, debere esse vñ-
tantum personam. Tertio, quia nulla est necessitas
aliud dicendi, maxime enim esset illa, quæ ex illo
ordinario casu sumitur, si contingeret vnum sacerdo-
tem mori facta vna vel duabus vñtionibus, nam
tunc censetur necessarium, vt alius perficiat sacra-
mentum: at hoc necessarium non est, nam potest al-
ius inchoare sacramentum, & integrum conferre:
nam quod alter facere incepit, nullum fuit, hoc i-
plo, quod essentia liter perfici non potuit. Ergo à pos-
teriori sacerdote potest, & debet omitti, ac si fa-
ctum non fuisset, & totum sacramentum integri fieri.
Quod potest exemplo Eucharistiæ confirmari,
partim per similitudinem, partim per differentiam
horum sacramentorum. In Eucharistiâ enim ita sunt
formæ & materiam partiales, vt tamen priora verba
formæ statim conficiant verum sacramentum factum
permanens, & ideo probabilius est, si sacerdos
moriatur, consecrato pane, ante consecrationem cali-
cis, alium debere perficere sacramentum, incipiendo
tantum à consecratione calicis: in presenti vero est
longe diuersa ratio: quia per priorem vñtionem
nihil consecutum aut sanctificatum manet. Adde, nõ
obstare illa efficacitate priorum verborum Eucha-
ristiæ, aliquos sensisse in dicto casu secundum sacer-
dotem debere integrum sacramentum perficere,
incipiendo à consecratione nouæ hostiæ: quam sen-
tentiam probabilem saltem reputat D. Thomas. So-
to vero, licet non censet necessarium id fieri, asserit
tamè posse licite fieri, vt tractatus superiori tomo,
disp. 85. sect. 1. Ergo multo magis hoc licebit in hoc
sacramento: ergo erit etiam necessarium, cõprior sa-
cerdos

Nõ poss
hoc sacra
mentum
pluribus
sacerdoti
confici

4
Distin
modi

D. Thom

Dist
com
fente

cerdos nihil in re effectum reliquerit. Quod inde magis declaratur: quia si in Eucharistia post consecratum panem cepisset sacerdos dicere sequentia verba, *Simili modo posteaquam canatum est, &c.* si non perfecit formam sanguinis, alius sacerdos non debet tantum addere verba, quae defuerant, sed totam consecrationem sanguinis inchoare ab eisdem verbis, *Simili modo, &c.* quia quoad hoc prior sacerdos nihil in re factum reliquit, etiam si verba inchoauerit: ergo simili modo in praesenti philosophandum est. Tandem confirmatur: quia alias si extra illum casum necessitatis duo sacerdotes ita vngerent diuidendo inter se ministerium, sacramentum esset validum, quidquid sit de eorum culpa: consequens autem videtur absurdum, & contra communem usum Ecclesiae.

5
Franso-
lato quasi-
en
D Tho
Richard.
Durand.
So.
Ledes.
Sylu
Tabiena.

Nihilominus satis recepta sententia est, posse sacramentum hoc dicto modo confici à pluribus sacerdotibus. Docet D. Tho. in 4. d. 23. q. 1. art. 1. qu. 2. ad 3. Rich. ar. 1. q. 1. ad 4. Dur. q. 1. in fi. Soc. q. 1. ar. 1. Ledes. q. 3. art. 2. Sylu. verb. *Vnctio extrema*, q. 4. Tabiena, n. 5. Qui dicunt esse hoc singulare in hoc sacramento: quia ex pluribus formis, & materiis partialibus constat, quauis priores partes nihil factum relinquant quantum ad effectum sacramenti, seu formae, vel materiae. In hoc enim posita est singularitas, si quae est in hoc sacramento. In aliis enim contingit sacramentum inchoatum ab vno, perfici ab alio; tamen ibi hoc est propter efficaciam priorum verborum, vt in Eucharistia declaratum est. Et suo modo contingere posse in ordine: nam, si Episcopus ordinans sacerdotem, postquam dedit illi potestatem consecrandi corpus Christi verum, dicens, *Accipite potestatem offerendi sacrificium, &c.* statim moreretur, ordinatio esset ab alio Episcopo perficienda, non repetendo quod factum est: quia fuit validum, fuitque verus character impressus. At vero in praesenti per priorem vnctionem & formam partialem nihil fit, & nihilominus Doctores citati asserunt nullo modo repetenda esse, sed quae deerat supplendum esse ab alio sacerdote. Et hoc videtur esse fundamentum huius communis sententiae: quia necesse est, vt tale sacramentum perfici possit, non enim debet priuari hoc sacramento, & effectum eius talis infirmus, eo quod alius minister sacramentum in eo inchoauerit, & perficere non potuerit, sed non potest perfici ab alio sacerdote iterando omnes vnctiones: quia hoc perinde esset, ac consecrare iterum eandem hostiam consecratam: ergo necesse est vt perficiatur illud sacramentum à duabus personis. Iuxta quod fundamentum non solum dicendum est in hac sententia, sacramentum hoc in eo casu perfici posse à duobus ministris partialibus, verum etiam non posse aliter fieri saltem licite, quia non potest licite secundus sacerdos iterare, quod alter inchoauerat. Quod profecto difficile est, nihil enim tunc videtur iterari, cum nihil factum sit, vt priora argumenta ostendere videntur: vt si in consecratione Eucharistiae poneremus vnā speciem non confici per priora verba, donec prolatis posterioribus verbis vtraque simul consecratur: consequenter dicendum esset, si moriatur sacerdos prolatis verbis consecrationis super hostiam, alium sacerdotem debere veramque speciem conficere etiam super eandem hostiam verba iterando: quia priora non habuerunt effectum: cur ergo in praesenti non idem licebit, cum per priorem vnctionem nihil effectum sit? Quod si licet, certe id videtur securus, vt certior sit effectio sacramenti, neque in hoc sacramento aliquid singulare sine necessitate asseratur.

6
Defendit
communis
sententia.

Defendendo autem communem sententiam, à qua sine maiori fundamento nobis recedere non licet, dicendum est, priores partiales vnctiones, à priore sacerdote factas sub propriis formis partialibus, reuerā esse validas, id est, ex se sufficientes, ad verum sacramentum conficiendum, & in suo gradu & ordine

Fr. Suarez. tom. 4.

habuisse suam significationem, & perfectionem partialem. Cuius signum est: quia si prior sacerdos reliquas partes consummasset, perfectum ex omnibus fieret sacramentum: ergo priores ex se valide erant. Vnde in hoc conuenit haec partialis consecratio sacramenti cum consecratione Hostiae in Eucharistia, quod vtraque est vera confessio sacramenti partialis, quae non differat in modo: quia diuersum esse sacramenti habet: Eucharistia enim habet esse permanens, & perficitur per transmutationem materiae, & ideo fit illa species sacramenti per propriam, & physicam actionem formae circa materiam: hoc autem sacramentum tantum consistit in vso, eiusque effectio non consistit in actione formae circa materiam, sed in sola platione cum tali veluti in formatione, seu artificiali coniunctione, & significatione, & ideo sine vlla actiuitate formae verum efficitur hoc partiale sacramentum: in hoc ergo est formalis conuenientia. Et in ea fundatur ratio prioris sententiae: nam in sacramentis conficiendis quae semel valide factum est, non est iterandum, sed addendum quod deest: haec autem pars sacramenti valide facta est: ergo, non est iteranda. Nam quod vnium sacramentum fiat per actionem, aliud vero minime, diuersitas materialis est: formaliter enim etiam vnctio partialis manet suo modo consecrata per formam suam, id est determinata ad significationem sacramentalis & consequenter etiam ad efficientiam, si aliae partes adiungantur. Vnde etiam non refert, quod illae priores vnctiones nullum habuerint effectum gratiae in suscipiente: nam etiam per consecrationem hostiae nondum gratia alicui confertur: satis ergo est, quod sacramentum quoad partem illam vere maneat consecratum, & subiectum licet non maneat sanctificatum quantum ad sanctitatem gratiae, manet tamen, vt sic dicam ex ea parte sacramentum, & dispositum ad effectum gratiae, si reliquae partes adiungantur: & ideo illud, quod factum fuit, non est iterandum, sed quod defuit addendum, ex quo fuit necessario consequens, vt tale sacramentum à pluribus personis conficiatur.

Neque contra hoc obstant in contrarium obiecta. Ad Concilium enim Florentinum respondetur, Concilium Tridentinum in plurali fuisse locutum de sacerdotibus iuxta modum etiam loquendi laicorum: & ideo ex neutro loquendi modo posse argumentum sumi: nam & plurale pro singulari, & singulare pro pluribus personis concurrentibus per modum vnius, accipi potest. Ad secundum respondetur, illam congruentiam saluari sufficienter, in hoc, quod simul vnus sacerdos tantum operatur, quod vero plures successiue operentur, est per accidens, & materiale quid, sicut quae artifex nunc per vnum calami, nunc per alium scribat, per accidens, & materiale quid est, semper enim vtitur vno ratum calamo, & omnibus aliis in oratione vnius, vt D. Th. in 4. 23. dixit Ad tertium vero iam responsum est. Quod vero in fine eius addebat de verbis consecrationis sanguinis inchoatis, non est simile: nam illa verba inchoata non habent completam significationem, etiam partialem, vnde etiam in fieri non dum conficiunt partiale sacramentum, nec aliquid consecrum relinquunt: in praesenti autem partialis vnctio cum sua forma iam habent suam integritatem, suumque complementum in esse sacramenti partialis: quia iam habent suam significationem completam, & ideo quoad illam partem vere relinquunt sacramentum consecrum: similitudo autem procederet si sacerdos inchoasset, vel fecisset aliquam vnctionem, non tamen perfecisset formam ad illam pertinentem; tunc enim talis vnctio, & forma eius omnino iteranda esset: quia perfecta non fuit. Ad vltimam denique confirmationem concedo in illo casu validum fore sacramentum: quia nihil substantiale illi deest: grauius tamen peccaturos sacerdotes, qui sine necessitate sacramentum illo modo conficerent, tum propter usum & ritum Ecclesiae, tum quia per se vnitas ministrum

Dilunt
argumenta
posita contra
communem

D. Tho.

Z z a nistri

nistri, etiam quoad personam, aptior est, & certior in conficiendo sacramento: denique argumentum fieri posset in Eucharistia.

Atque hinc colligit Ruard. art. 11. posse hoc sacramentum à pluribus sacerdotibus simul confici: si vnus vnget aures, dum alios vnget oculos, & sic de aliis: quod in rigore verum videtur, quantum attinet ad substantiam sacramenti: quia non est de essentia huius sacramenti quod illæ vnctiones successiue fiant, nulla enim ratione probabili id ostendi potest. Sicut enim supra dicebamus ordinem vnctionum non esse de essentia: ita videtur manifestum successione non esse essentiali: nam par est ratio: sed vnitas personæ non est etiam essentialis: ergo, si illo modo ministraretur sacramentum, nihil essentiali deest: erit ergo validum. Imo, si necessitas urgeat & mors infirmi timeatur, nõ videtur illicitum sic vngete: quia propter necessitatem omnia hæc accidentalia prætermitti possunt. Item: quia si ob necessitatem ex parte ministrari licitum est hoc sacramentum ministrari à pluribus personis; cur non ob necessitatem suscipientis, & timorem, ne subiectum & tempus deficiant? Denique hoc non est alienum à verbis Iacobi. *Inducat presbyteros Ecclesie, &c.* At vero sine necessitate hoc facere, illicitum esset propter rationes supra tactas. Sed quid si duo sacerdotes simul vnquant omnes sensus, vnus vnus oculum, & alius alium, & sic de cæteris? Respondeo hoc semper esse illicitum: quia nunquam potest esse necessarium, vel ad valorem sacramenti, quia sufficienter conficitur per singulas vnctiones sensuum, vt diximus, vel ad subueniendum necessitati infirmi: quia sacramentum non citius conficitur illo modo, quam si ab vno tantum per vnã vnctionem vnusquisque sensus fieret. Non est tamen dubium quin esset validum sacramentum, vt à fortiori ex dictis constat: an vero esset vnũ, vel plura, controuerti potest, & Ruardus significat esse vnũ: quia ex omnibus illis vnctionibus intelligi potest tota materia vnus sacramenti: estque probabile. Ego vero censo esse distincta, vt sint valida: quia necesse est vt vnusquisque intendat perficere sacramentum in dependenter ab alio quoad singulas vnctiones singulorum sensuum: quia alias nihil efficieret: nam illo modo non potest minister sacramentum esse partialis, vt in simili de baptismo probaui loco supra citato; estque eadem ratio in presenti.

DISPUTATIO XLIII.

De præceptis & ritu sacramenti Extremæ vnctionis.



VAE tantum personæ per se interueniunt in hoc sacramento, suscipiens, & ministrans, vnde ad illas possunt pertinere obligationes seu præcepta, si quæ sunt in hoc sacramento coniuncta. Hæc ergo explicanda supersunt in hæc materia, simulque dicimus de ritu, quoniam brevis res est, nullamque difficultatem, aut eruditionem requirit.

SECTIO I.

Vtrum fideles obligentur aliquo præcepto ad susceptionem huius sacramenti.

¹
no genera
præceptorum

Duo genera præceptorum soleo in hæc materia distinguere, vnũ voco quoad exercitium, vel vltim, estque illud, quod obligat ad suscipiendum sacramentum; aliud appello quoad specificationem, quod obligat ad modum seruandum in tali vsu, si fiat: quod per negationem solet etiam explicari, scilicet, non accipiendum sacramentum sine hæc vel illa

conditione: de vtroque igitur præceptorum genere breuiter dicemus.

Circa primum est communis opinio, nullum esse affirmatiuum præceptum de suscipiendi hoc sacramento, etiam in extremo vitæ discrimine. Ita D. Thomas in 4. dist. 23. articulo primo, quæstione tertia, ad primum, vbi in hoc sensu negat hoc sacramentum esse de necessitate salutis, non enim agit de sola necessitate mediæ, sed etiam præcepti, vt patet quia in hoc constituit differentiam inter hoc sacramentum, & Eucharistiam. Item sentit Palud. ibi quæst. 3. Soto quæstione. 1. articulo primo, Supplement. Gabriel quæstione prima, Rub. vlt. Syluest. q. 9. Navar. c. 22. num. 16. Caietan. verb. *Vnctio extremæ*. Armilla, num. 1. Victoria in Summa, num. 219. Ruardus art. 12. Couarr. cap. *Alma*, 2. part. §. 2. num. 6. Qui fundantur: quia tale præceptum neque ex natura rei sequitur ex institutione huius sacramenti; nec inuenitur à Christo, vel ab Ecclesia traditum; ergo asserendum non est. Maior probatur: quia sacramentum hoc non est medium necessarium ad salutem, sed tantum vtile, & ad melius esse: ergo ex vi suæ institutionis non asserit secum præceptum. Minor vero patet; quia nec tale præceptum inuenitur scriptum; Iacobus enim promulgans hoc sacramentum, nullum verbum apposuit vim præcipiendi habens, sed simpliciter dixit, *Infirmus quis in vobis, inducat presbyteros, &c.* Neque etiam in Concilio Tridentino aliquid huiusmodi in sinuauit; nam sess. 7. de Sacramentis in genere solum dixit, non omnia esse singulis ad salutem necessaria; in sess. vero 14. agens de hoc sacramento tantum dixit, non posse à Christianis sine peccato contemni. Præterea Ecclesia cum tempore interdictionis permittat ministrari fidelibus ea sacramenta, quæ sunt necessaria, hoc minime permittit, vt patet ex cap. *Quod in te*, de penit. & remiss. & sequenti libro suo loco latius dicemus; ergo signũ est vsus huius sacramenti absolute non esse necessarium atque adeo non esse in præcepto diuino; de Ecclesiastico autem certum est nullum extare; ergo,

Ab hac tamen communitententia viderit dissentire Petrus Soto lect. 2. de hoc sacramento; sententiam sacramentum hoc sine peccato non omitti, etiam si per negligentiam omittatur, quod verum nõ esset, nisi esset sub præcepto. Fauetque huic opinioni Magist. in 4. distinct. 23. vbi sub distinctione ait, esse peccatum omittere hoc sacramentum, vel ex contemptu, vel ex negligentia, vbi in secunda particula indicat præceptum; vbi Bonauent. ibi in expositione textus illam particulam, vel, pro copulatiua, et exponit esse positam, quia nimirum singula membra sufficiunt ad tale peccatum. Vnde subdit, ita esse iudicandum de hoc sacramento, sicut iudicatur de sacramento altaris: ergo vel negat esse præceptum de sacramento altaris, quod credendum non est, vel affirmat esse de hoc sacramento. Videtur idemque fauere huic sententia Concilium Colonien. anno 1536. p. 7. c. 50. dicens. *Est autem vnctio impendenda cum expositione vnctionis, & mandati Apostolici, quod sic habet, infirmus quis in vobis, &c.* Et Concilium Senonense in Decretis fidei decreto 10. dicens. *Ne hic non ster vngendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur, dixit Iacobus, infirmus quis in vobis, &c.*

Veruntamen hæc sententia simpliciter loquendo de præcepto sufficienter fundari non potest, & ideo à communi sententia recedendum nõ est. Nam quod hoc sacramentum sit per se vtilissimum, & interdu ex accidenti possit esse necessarium, non satis ostendi præceptum per se annexum huic